

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3901

Auteur(s) : Hervé de Léon, chevalier, Châteauneuf (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1281, 13 septembre

Action juridique : échange

Langue du texte : latin

Analyse

Hervé de Léon, chevalier, concède au roi tout ce qu'il avait aux châteaux et dans les châtelainies de Châteauneuf et de Senonches pour 400 livrées tournois annuelles de Pont-Saint-Pierre et pour 1000 livrée de rente annuelle du Temple à Paris.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 972, p. 247-248.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Herveus de Leonia, miles, tradidi in excambium et concessi excellentissimo domino meo Philippo, Dei gratia, regi Francorum illustri, quicquid habebam et habere poteram in castris et castellaniis de Castronovo et de Senonchiis, videlicet in maneriis, redditibus, hominibus, serviciis, fesanciis, redevanciis, terris, boscis, pratis, stagnis, vivariis, garennis, mineriis, feodis, jurisdictionibus, justiciis, dominiis, juribus, et aliis omnibus quibuscumque, nichil ibidem retinendo, prefato domino regi et ejus successoribus de cetero, jure hereditagii, tenenda et possidenda sine reclamacione vel contradicione seu impedimento mei vel heredum meorum de cetero faciendis, videlicet pro quater centum libratis terre ad turonenses habendis annuatim de cetero et percipiendis a me et heredibus meis in parrochia de Ponte Sancti Petri, Rothomagensis dyocesis, et in locis contiguis, in situatione terre, juxta consuetudinem patrie, cum omni justicia alta et bassa ad dictas quater centum libratas terre spectante, que quidam justicia in predicta terra minime computabitur seu appreciabitur, necnon et pro mille libratis redditus annualis ad turonenses percipiendis similiter et habendis de cetero annuatim michi et heredibus meis Parisius apud Templum, medietate videlicet ad festum Omnium Sanctorum et alia medietate ad Ascensionem Domini. Tenemur insuper ego predictus Herveus et heredes mei, dicto domino regi et ejus successoribus vel causam habituris ab ipso omnia predicta a me tradita garantizare et defendere, ad usus et consuetudines patrie, contra omnes bona fide. Et ad hec omnia et singula obligo me et heredes meos predictumque excambium a me receptum et omnia bona mea mobilia et immobilia, presentia et futura. Requiro etiam, pro me et heredibus meis, dictum dominum regem pro se et successoribus suis ut me et heredes meos ad observationem predictorum, quocienscumque necesse vel expediens fuerit, sine alia interpellatione compellat cum effectu. In cujus rei testimonium, presentes litteras sigillo meo proprio sigillavi. Actum anno Domini millesimo ducesimo octogesimo primo, mense septembri.